

prædictum aggressi sunt castrum, et toto conamine totisque nisibus [a] viriliter pugnantes, circa mediam noctem de inimicis habuere triumphum, quos capere potuerant hostiliter flagellantes. Nam Guidonem de Malabaca comitem Bagnacaballi [b], Rainuccium de Zonatello [c] et alios multos de Faventia et comitatu Imolae [d] turpissime occiderunt; quamplures vero more barbarico [e] excecicare non formidarunt, comburentes castrum flamma ultrici. Faventini vero postea castellum Imolae melius et fortius, quam primum fuerat, restaurare pro viribus laboraverunt; pro vindicta siquidem illorum, qui ita crudeliter pertractati fuerant, multi ex Imolensibus periire, quorum pleraque capita super portam Imolensem [f] fuere posita, alia inter Faventiam et Imolam in arboribus suspensa.

De bello magno ante portam Imolae facto.

CAP. XLIX.

Cum, pecunia promissa non modica, clam jurassent^a quidam [g] ^{de y} ex Imolensibus se missuros Faventinos et Bononienses, tempore congruo, in Imolam, significarunt^c hoc [h] Faventini comiti Guidoni Guerrae [i], tanquam vero domino et amico; qui, suis curis postpositis [j] omnibus, cum electis peditibus et sagittariis atque balistis, in occulto, ut potuit, venit Faventiam. Anno itaque Domini MCLII, omnibus rite^e paratis [k], Faventini cum Comite, nocte statuta, equitaverunt Imolam. Dimisso vero [l] domino Comite cum exercitu [m], citra flumen inter castellum Imolae et civitatem, perrexerunt nostri ad portam quamdam quae dicitur Laviscae [n], et cum diu expectassent frustra illos, ad quorum fiduciam iverant, credentes tum [o] Bononienses jam ante alias portas esse paratos, publice ceperunt portas infringere, et cum resistentibus bellum committere. Imolenses igitur [p], licet novo et inaudito rimore primo perterriti essent, tamen sole jam lucente [q], ut viderunt nulla alia parte fore timendum, omnes per portas et posterulas [r] exeuntes, viriliter aggressi sunt nostros; quos summa vi usque ad fluvium [A] deduxerunt, interficientes duos ex vexilliferis

[a] totisque nisibus, Codd. M. et A. In C. V., totisque viribus. — [b] Guidonem de Malabaca comitem Bagnacaballi, Codd. M. et V. In C. A. comitem Rainerium de Tonacello legitur, ita ut non referatur ad Guidonem, sed ad Rainuccium, vox comitem. — [c] Rainuccium de Zonatello, Codd. M. et V. In C. A., Rainerium de Tonacello. Gregorius Zucculus habet de Tonarello; Tonducius de Tornarello. — [d] et comitatu Imolae. Sic legendum; in C. V., et comitatus; in C. M., et comitatum. — [e] more barbarico. Sic lego. More barbarico, alii; sed Codd. V. et A. habent meam lectionem. — [f] super Portam Imolensem, Codd., nempe Faventiae. — [g] jurassent quidam. Cum C. V. sic lego; alii legunt jurasset. — [h] significarunt hoc, C. V. et Cl. Mitt.; significarent, C. M. — [i] Guidoni Guerrae, Codd. M. et V. — [j] suis curis postpositis. Sic legendum. In C. M., pro curis, est curiis. — [k] rite paratis. Sic legendum. In C. M., rite paratis. — [l] Dimisso vero. Sic cum C. V. In C. A., dimisso uno. — [m] cum exercitu. Sic C. M. In C. A., cum exercitu suo. — [n] quae dicitur Laviscae, C. V. In C. M., quae dicitur Lavisce. [o] credentes tum. Sic C. V. et, ut mihi videtur, etiam C. M. In C. A. habetur credentes tamen; et sic etiam legit Cl. Mitt. — [p] Imolenses igitur, C. A. et Cl. Mitt. In C. V., Imolenses vero. — [q] tamen sole jam lucente. Sic legit Cl. Mitt. In C. M. legi etiam potest, tum sole tamen lucente. Codex V. habet tum sole etc. — [r] per portas et posterulas, C. M., et recte; nam posterulae appellabantur olim exiguae portae, in portis majoribus adaptatae, Vid. Murat. Dissert. Antiq. Med. Aevi. In C. V. per portas et porterulas; sed non bene.

[A] Ad fluvium, scilicet Santernum, de quo supra.